

7. K 67.  
14

Z e  
4450

RECTOR  
VNIVERSITATIS ALTORFINAE  
D. IOHANNES IACOBVS  
KIRSTENIVS

CHYMIAE ET PHYSIOLOGIAE PROF. PVBL. ORD.  
IMPERIAL. ACAD. NATVR. CVRIOS. COLLEGA

AD  
VLTIMVM EXEQUIARVM HONOREM  
*VIRO MAGNIFICO AMPLISSIMO EXCELLENTISSIMOQVE*

DOMINO  
CHRISTIANO  
GOTTLIBIO  
SCHWARZIO

BIBLIOTHEK  
PONICKAVIAN

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLE  
(SALLE)

COMITI PALATINO CAESAREO  
MORAL. HISTOR. ATQVE ELOQVENTIAE PROF.  
PVBL. ORD. BIBLIOTHEC. BENEFICIARIORVM  
NORICOR. INSPECTORI ET ACADEMIAE  
HVIVS SENIORI

ITEMQVE  
ACADEMIAE CAESAR. LEOPOLD. CAROLINAE NATVRAE  
CVRIOSORVM ET REGIAE BORVSSICAE SOCIETATIS  
SCIENTIARVM COLLEGAE AC SOCIETATIS FLORIGERAE  
AD PEGNESVM PRAESIDI CELEBERRIMO  
LONGEQVE MERITISSIMO

DECENTI RITV PRAESTANDVM  
CIVES ACADEMICOS  
INVITAT

---

TYPIS IOH. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.





Ngens hanc eruditionis sedem horror et  
silentium subito peruasisit, quod com-  
munem aliquam calamitatem osten-  
dit, et ad cunctos, siue Patres, siue  
Ciues eius, pertinere sentitur, nemi-  
nemque tristitia uacare patitur. Post-  
quam uero silentii causa, dolor, intus  
in medullis grassatus est, iam in gemitus erumpit publicos,  
et omnes, funus VIRO MAGNO opinione citius parandum  
esse, quirantur. Nec mirum ab initio singulos in com-  
muni hac Academiae nostrae orbitate exanimatos uocem de-  
fecisse; quod os eloquentissimum MAGNI SCHVVARZII  
nostri, et totius huius studiorum Vniuersitatis Senioris, ob-  
mutuit; quodue Orator Academiae huius loqui desit, quem  
non solum docti, quum diceret aut aliquid scriberet, mirati  
sunt, sed etiam alii, qui eum umquam concionantem audi-  
uerunt et spectarunt, oratorem esse, quem non omnis uidet  
aetas, communi certoque sensu agnouerunt. Bone DEVS!  
Ante SCHVVARZIVS noster silet, et in aeternum silebit,  
quam uel fando accepimus, eum aegrius quam antehac de-  
cubuisse! Quod si uel ex nuntiis uel experimentis rite praesagire  
aut discere potuissimus, mortem eius instare: uulgari illo  
VIRI usu et eruditione fruitos esse, nos ad patientiam tan-  
quam ad lenimentum uulneris nostri praeparassimus. Sed  
licet SCHVVARZIVS senex fuerit, licet aegrotauerit; recte  
tamen, quod non cum uehementi morbo et periculoso con-  
flictari uidebatur, post DEVM in inueterato ualetudinis et  
naturae eius robore magnam fiduciam ponebamus, et gratu-  
lationes, quibus eum in medium prodeuntem excepturi era-  
mus, conceptissimis formulis meditatatas habebamus. At spes  
has proh dolor! fallaces moestis inopinatusque nuntius ex-  
stinxit: occidisse SCHVWARZIVM. Quemadmodum uero  
tota haec literata ciuitas sensu moestitiae mouetur, quod ca-  
num suum uenerandum, multisque meritis graue, Caput ami-  
sit: ita in primis ego Vobis, Optimi Ciues, funus eius hodie  
efferendum totus luctui squalorique immersus edico; quod  
me hoc tempus, in quod ante aliquot annos luctuosissima  
mors Carissimae Coniugis meae ortu SCHVWARZIVS incidit, uel  
sponte sua et sine calamitatum incrementis peracta memoria  
con-

conucllit: et mihi iam insuper circa istud triste recordationis officium unus dies mane aestumatissimum ex matre Fratrem et uespera Venerandum Socerum eripuit. Lucem uidit doctus et omni eruditae posteritati memorandus SCHVVARZIVS Leisnigae in Misnia, d. IIII Septembris A. S. R. MDCLXXV; cuius patriae suae SCHVVARZIVS crebro inter familiares suos mentionem facere solebat, eiusque dira fata, clades bellicas, et incendia, ex quibus et ipsi et suis multa damna oborta sunt, gemebundus commemorabat; ac saepe mirabatur fieri potuisse, ut tam duris temporibus sibi in adolescentia sua tantum animi fuerit, ut in literarum studiis eorumque amore perstaret. Sed prouidet summum Numen eruditioni, tamquam egregio uerae puraeque religionis remedio, si ea recte utamur, et magnos uiros etiam in rebus aduersis posteritati nasciturae excitat, qui doctrinam capebant, alisque tradant, inter quos nomen SCHVVARZII permagnum est. Patrem nactus est uirum integerrimum PAVLLVM MATTHIAM SCHVVARZIVM, scholae patriae moderatorem doctum et assiduam, quae in puluere scholastico ultra dimidium saeculum summa cum fide uersatus est. Cuius memoriam tanti fecit Beatus noster SCHVVARZIVS, ut, licet eximia omnis generis rarorum bonorum et pretiosorum librorum copia frueretur, nullos tamen ex insigni pietate praeferebat iis paucis libellis, quos a patre suo manu eius notatos possidebat et magno studio ac religiose conseruabat. Hos amicis suis, data opportunitate, tamquam thesauros ostentabat, et dum eos euoluebat, plenus pietatis et grati animi de patris sui mansuetudine et bonitate in se differebat. Matrem coluit ELISABETHAM, Consulis Leisnigensis, ABRAHAMI KVNZII filiam, et laudatissimae uitae feminam, quae GOTTLIBVM suum in primis carum habuit, eumque etiam posthac uidua, quantum poterat, adiuuabat; qui hanc maternam bonitatem tam grato pioque animo repensabat, ut, quum iam studiorum causa in Academicis uiueret, etiamsi forte opis indigebat, nihil tamen a pia matre postularet, sed a se consilia et auxilia petebat, probe narus, optimam matrem suam sibi fauere, et sponte benefacere, quotiescumque poterat. Quemadmodum itaque bene natus erat SCHVVARZIVS: ita quoque cura parentum suorum et Christianorum testium, coetui sancto DEI insertus est; et quam primum id aetas permitteret, ab ipso parente suo erudiri coepit. Quum autem pater GOTTLIBI nostri mature in ipso singulare ingenium et rara mentis

bona agnosceret ; ipse uero partim scholae dirigendae curis , partim a praecipitante senecta praepediretur , quo minus illum magnum uirum , qui SCHVVARZIVS euafurus erat , in tenero GOTTLIBIO suo recte conformare posset , eum aetatis suae anno XI , id est , post salutem restauratam MDCLXXXVI , Lipsiam , tamquam omnis eruditionis foecundissimam matrem , dimisit ; ubi in aedibus et conspectu HENRICI VVILHELMI MEYERI , tamquam bene prouidi cognati sui , uixit , et cum egregiis laudabiliterque aemulantibus condiscipulis , OLEARIIIS , a M. IOHANNE GIDEONE GELLIO , posthac ad D. CRVCIS scholae Dresdensis erudito et optime merito Rectore , ad bonos mores literasque inductus est. Anno deinde MDCLXXXI optimo patre suo morte est priuatus , et sic sibi suisque consiliis , sed et incommodis , magis permissus est. Recreabatur tamen mox , prouidente DEO , quodammodo ex hoc luctu , dum inter alumnos in splendido *Gymnasio Grimmeni* POTENTISSIMI POLONIARVM REGIS , et PRINCIPIS ELECTORIS SAXONIAE clementer receptus est , ubi in orbem eruditionis ingressus , mox pectus suum sempiterno doctrinae et uirtutis ardore inflammatum sensit. Viam ipsi in hoc genere monstrabant , et ardui itineris duces erant uiri , quorum nomina B. SCHVVARZIVS numquam sine ueneratione grataque mente extulit : TOBIAS PETERMANNVS , IOH. VVOLFGANGVS SCHOENBACHIVS , GEORGIUS ERMELIUS , et SAMUEL IACOBI ; quorum quisque suae professionis peritissimi erant , et ex certis signis diligentiae et docilitatis SCHVVARZII , eum olim eruditionis gloria conspicuum fore , augurabantur. Vicissim uero SCHVVARZIVS iam tunc bona doctorum suorum distincte nouerat , et quas singuli singulares docendi dotes uiasque habuerant , adhuc in senectute sua recordabatur. Postquam hic omni studio et diligentia ad bonas literas ita incubuerat , ut multos condiscipulorum suorum facile antecelleret , Academias inuisere , orbemque scientiarum latius peruagari in animo habuit. Sed accidit , ut , rem gerente fratre M. PAVLLO HENRICO SCHVVARZIO , paedagogus et moderator SCHLEINITZII adolescentis ex Illustri domo orti constitueretur , atque hoc modo in notitiam gratiamque ac ipsam domum Cognati SCHLEINITZII , Perillustri Domini HERMANNI de VVOLFRAMSDORF , nonnullarum Clientelarum Heredis et Dynastae , ac in AVLA SAXONICA Ministri Primarii et Summi Mareschalli penetraret. Quae res SCHVVARZIO postea magnae felicitatis et multorum commodorum causa facta est. Non enim leue ac uulgare est , tam Excellenti  
Pru.

Prudentique Domino suas uiuendi rationes , et Ipsiſus cognatum inſtituendi modum , probare ; aditum ad Eum ſape habere , Eum ſibi obuium experiri , et conſiliis ac ualente auxilio Eius uti poſſe fruique. Sape aſſeuerauit SCHVVARZIVS, hoc inſtituendi Generoſi SCHLEINITZII munus ſibi ſcholam diſcendae prudentiae , et Viris elatae dignitatis decenter ſe commendandi , fuiſſe. Uſu hac exoptata occasione ſe didiciſſe aiebat , quis ordo eſſe poſſet et deberet in Domo nobili magnaſque , et quae lauta nec inutilis eſſet magnificentia. Magnam quoque munificentiam Excellentiſſimi VVOLFRAEDORFII aduerſus ſe , et dum apud eum uiuit , et poſtea , fuiſſe , crebro et uehementer praedicauit ; ac nihil unquam reliquum fecit , ut ſibi gratiam tanti Maecenatis perpetuo conſeruaret , quod etiam feliciter obtinuit. Tandem A. clō C LXXXVIII alacer , et quaſi paſſis ſpei et laetitiae uelis Lipſiam deuectus eſt , ubi iam uotis et genio ſuo , id eſt , literarum ſtudio largiter indulſit. In primis autem humaniorum literarum amore inuitatus ad GOTFRIDVM OLEARIVM , ſingularis famae et doctrinae uirum , ſe applicuit , eiusque et conſiliis et laudabili ductu uermotus eſt , ut elegantes ſcientias ſibi poſtiſſimum excolendas legeret. Et quanto non affectus eſt gaudio OLEARIVS , quum SCHVVARZIVM non ſolum ſpem ſuam explere , ſed et ſuperare , uideret ; qui laetitia exſiliit , ubi tandem SCHVVARZIVS Altorfium , tamquam designatus Profeſſor , petiturus ipſum ualere iuſſit ; quem tunc egregio DEMETRII PHALEREI exemplo tamquam munere uiatorio , donauit ; quod SCHVVARZIVS , nam gratus memorque erat , uſque ad finem uitae ſuae quam maxime carum et acceptum habuit. Praeterea ſectatus eſt ADAMVM RECHENBERGIVM , immortalis nominis Doctorem , a cuius commentationibus numquam non doctior diſceſſit. Audiuit quoque IOHANNEM GOTTLIBIVM HARDTIUM , a quo uerae ſanaeque philoſophiae rationes animo imbibit ; et CHRISTIANVM LVDOVICVM , qui tunc auditoribus ſuis diſputandi artem regulaſque doctē tradidit , eoſque in eruditis pugnis citra ineptias obeundis uſu et exercitio confirmauit. Quumque certum ipſi eſſet et exploratum , neminem ſine Graeci ſermonis cognitione uiri eruditi nomen legitime tueri poſſe : celeberrimi in hoc genere IOH. GOTFRIDII HERRICHI ſcholis diligentiſſime interfuit , et in iis ſibi egregium cumulum congeſtumque eruditionis Graecae comparauit ; qui SCHVVARZII elegantiam doctrinamque eximiam etiam nitido epigrammate Graeco

B

hono-

honorauit. Quum uero ii, quibus aduersari noluit, a SCHVVARZIO poscerent, ut etiam sacris scientiis studeret; laudabili et prospero nisu se iis dedit, et Doctores numerum sanctitate et meritorum gloria uenerandos, IOHANNEM CYPRIANVM, et IOH. SCHMIDIVM, diuinas ueritates explicantes frequentauit, et de iis cum aliis quibusdam sanctae scientiae cultoribus destinatis priuatisque horis domi horum Doctorum disseruit, et sic se solida rerum diuinarum et sanctae fidei nostrae ab obiectionibus defendendae sufficiente scientia muniuit. Porro GOTTLIBIVM FRIDER. SELIGMANNVM, et HENRICVM PIPPINGIVM, oratores sacros eloquentes et pios exemplorum loco habuit, et ab ipsis siue in coetu sacro siue in scholis suis proposita, tamquam rectissimas regulas animo pectorique infixit. Quia uero manca esse censetur scientia sacra sine linguae Hebraeae notitia, et hanc apud GOTFRIDVM OLEARIVM et M. LVDOVICVM CHRISTOPH. BLOSSIVM sedulo tractauit et recte percepit. Iam ea instructus erat rerum scientia et cognitionis copia, ut iure suo aliquam dignitatem mereretur, quam etiam adeptus est, dum hoc A. Clō 156 LXXXVIII ab ADAMO RECHENBERGIO, tamquam Ordinis Philosophici Praefide, primum honorum philosophicorum gradum cum laude accepit, et sic *Baccalaureus* bonarum artium creatus est. Paulo autem post dignae illius artis, qua tandem adeo eminuit, specimina dedit, et in templo Paullino duas egregias orationes spiritu oratorio refertas habuit. Deinde etiam cathedram Academicam conscendit, et, duce ac praefide M. SAM. BARTHELIO, uiro admodum docto, pro argumento ex historia sacra desumpto propugnauit, et in hoc certamine egregie stetit. Inter haec Perillustris Dominus de VVOLFRAMSDORF, beneficentissimus SCHVVARZII omniumque eruditorum Maccenas, in florentissima Academia VVittenbergenfi beneficium uictus a XII dignis literarum cultoribus gratis fruendum constituit, inter quos SCHVVARZIVM suum expresse et in primis denominauit, qui ad id accederet. Sic Lipsia excitus VVittenbergam, felicem illam purorum sacrorum et eruditionis promam, discessit. Hic se statim in fauorem doctorum uirorum insinuauit, et maxime a IOHANNE DEVTSCHMANNO, theologo graui et docto, multa insigniaque benignitatis documenta acceptauit; qui eum monitis, consiliis et commendatione ita firmavit, ut ea numquam ex SCHVVARZII nostri mente exciderint. Quemadmodum uero ibi et alios Viros praestantes ueneratus est, et in augmentum cognitionis suae sedulo adit;

adiit : ita sigillatim oculos animumque in singulare illud VVittenbergae et totius Germaniae decus CONRADVM SAMVELEM SCHVRZFEISCHVM conuertit, et sibi uehementer gratulatus est, quod eius commentationes frequentare potuit, et is panegyricum suum ante perlegit, ac se de quibusdam monuit, quam cum LXXIII natali Maecenatis sui VVOLFRAMSDORFFI communi nomine in magno audientium circulo, et inter publica uota pro incolumitate tam munifici scientiarum Vindicis ac Tutoris, habuit. Quo facta laus eruditionis SCHVVARZII noua cepit incrementa; quam iudicium SCHVRZFEISCHII de hac solemniori oratione non parum prouexit. A. 1610 ad summum, quem philosophia dat, gradum ascendit, et a GEORGIO FRIDERICO SCHROEERO, philosophiae et theologiae scientissimo, Magistri artium et Doctoris philosophiae titulos ac honores publice cum aliis inter multas congratulationes impetrauit. Anno sequenti, eoque Academiae VVittenbergensi laetissimo, quod ea tunc saeculum condebat, nouumque ordiebatur, cum Praefide GEORGIO GVILIELMO KIRCHMAIERO, qui Graecas literas cum magno plausu docebat, et SCHVVARZII causa ualde cupiebat, de *dialecto Noui Foederis* sic disputauit, ut nemo non, qui SCHVVARZIVM tunc audiuit, honorifice de eo sentiret. Breui deinde noua atque praecleara eruditionis suae monumenta protulit, dum e Praesidium sede, ac munere suo quam optime defunctus, de *caussis dialectorum, speciatim Graecarum*, disseruit. Porro quum isto tempore in Belgio inter doctos de modo, quo Iudas, Sacratissimi SERVATORIS nostri proditor, infelicem suam uitam finiuerit, acris pugna exarsisset; SCHVVARZIVS pro eruditione sua ad hanc rem disceptandam intentus fuit; et, ut suam sententiam rite constitueret, ualidisque firmaret principiis, omnia altius repetere statuit; ideoque de *morte Achitophelis*, pessimi illius desertoris ac transfugae, duas doctissimas dissertationes cum uno eodemque Respondente fortiter tutatus est; quod Graeci Veteris Codicis interpretes in historia Achitophelis eodem uocabulo usi sunt, quod in Nouo Foedere de morte Iudae exstat, indeque rationes suae sententiae colligere uoluit. Magna obseruatis SCHVVARZII laus comitata est, et eruditos desiderium tenuit commentationis et sententiae suae transitum exitumque uidendi; qui uero, quod SCHVVARZIVS mox aliis rebus implicitus fuit, numquam emerfit. Iam discessum parabat, VVittenbergam relicturus, ubi eruditionem famamque suam ualde auxerat. Quod ubi

SCHÜRZFLEISCHIVS rescuiuit, eum non nisi excellenti laudis testimonio impertitum a se dimisit, in quo testatus est, SCHVVARZIVM *in sapientiae studio diligenter uersatum esse, humanitatis insigniter peritum, et dignum, qui docentis partes capessat.* Haec felix gloriae sementis mox creuit, et bonos tulit fructus. Vix enim SCHVVARZIVS Lipsiam, quò tetendit, reuersus erat: et a CHRISTOPHORO PRAVTZIO, certae illius solidaeque dimetiendi scientiae callentissimo, moribus studiisque unici filii sui praefectus est; quas partes quinque fere annis, ut caeteras res suas, quam optime egit, et non sine commodo suo gessit; licet mox postquam Lipsiam VVittenberga redierat a SPLENDIDO LIPSIENSI SENATV locum et munus Collegae III in schola senatoria ad D. Nicolai adeptus sit, et sic suam docendi facultatem publice explicare coeperit. In quo negotioso munere se non solum inuictum a labore praeficit, sed etiam alia simul pro insigni sua praestantia et uirtute bene recteque exsequutus est. Sic in celebrem societatem *Anthologorum* receptus, quam tunc CHRISTIANVS FRIDERICVS BOERNERVS, scientia rerum sacrarum et humanarum ualde nobilitatus, direxit, eius conuentibus frequenter interfuit, et de rebus ad eruditionem pertinentibus fermocinantes auscultauit, ac ipse disseruit. Vt uero artius cum Academia coniunctus esset, quod se uitae Academicæ natum esse intellexit, et Magistris Lipsiensibus adscriberetur, impetrata in hoc ab Amplissimo Philosophorum Ordine facultate A. MDCCV de *ornamentis librorum apud ueteres usitatis* exquisitam disputationem scripsit, et, prouti Lipsiae moris est, bis eodem die, ante meridiem solus, et post eam cum comite respondente fortiter a contra dictis uindicauit. Quod argumentum anno, qui sequutus est, noua disquisitione collustrauit, et hoc pacto sibi dignitatem et ius Assessoris Philosophi acquisiuit. Haec docta SCHVVARZII monumenta iam palam nota erant, et celebrabantur: unde in uarias uacuefactas docentium sedes expetitus est, ac eodem tempore plures bonas amplasque fortunae et honoris conditiones oblatas habuit, inter quas et ea fuit, qua huc euocatus est. Dum quid agat, perpendit animoque circumuoluit, quum res magni momenti sit nouam experiri fortunam, memor MORHOEIVM, Virum usu et ubertate scientiarum ualentem, perhonorificam de Academia Altorfina mentionem fecisse, bono animo et auspicato nutum ac uoluntatem ILLVSTRIVM huius Academiae DOMINORVM CVRATORVM sequutus est, ac Lipsiae

Patro-



Patronis et Amicis cum ueneratione et debito cultu aditis ,  
 ultimumque compellatis , bonis uotis cumulatius uiae se  
 dedit , et primum Norimbergam ac deinde huc magna meri-  
 taque expectatione uenit. Cui statim non solum exacte re-  
 spondere , sed eam quoque uincere , coepit , quum , ut  
 professionem suam Oratoriae et Poeseos , cui e uestigio ( tan-  
 tus fauor erat eruditionis Schvvarzianae ) etiam munus tra-  
 dendae doctrinae moralis accessit , rite auspicaretur , d. xvi  
 Augusti solemniter , et elegantissime *de oratore in republica* ,  
 oraret ; quem actum etiam antea insigni prolusione indicauit.  
 Anno altero post ob obitum GEORGHII PAVLLI ROETENBECCII ,  
 philosophi optime morati et acutissimi , ad munia  
 SCHVVARZII a Splendidis Academiae huius CVRATORIBVS inspe-  
 ctionis cura Beneficiorum Norimbergensium clementer addita  
 est. A. d. 1600 socius laudatissimae et antiquae Societatis Flori-  
 gerae ad Pegnesium factus est , in qua ex uoluntate et optione  
 sua dictus est MELANDER. A. d. 1600 ingentia honorum  
 incrementa habuit , quod eum DIVVS CAROLVS VI , GLORIOSIS-  
 SIMVS ROMANORVM IMPERATOR , per EMINENTISSIMVM quondam  
 et gloriose memoriae principem , LOTHARIVM FRANCISCVM ,  
 Archiepiscopum Moguntinum , et S. R. I. per Germaniam  
 Archicancellarium , ac Principem Electorem , natalibus  
 S. R. I. Comitem de SCHOENBORN , conspicua et nobili Comi-  
 tis Palatini Caesarei dignitate clementissime affectit ; qua  
 noster per omnem uitam saepe quidem sed rectissime usus  
 est , nec prece nec alio modo eo perduci potuit , ut aliquid  
 iurium suorum in indignos deriuasse uideretur. Quumque  
 desideratissimus IOHANNES DAVID KOEHLERVS <sup>¶</sup> uir perpetuae  
 gloriae , hinc Goettingam commigrasset : SCHVVARZIVS ,  
 professione poetices dimissa , uolentibus sic ILLVSTRIBVS Aca-  
 demiae CVRATORIBVS , historiae docendae munus suscepit.  
 A. d. 1600 insignis aeris incidendi , et ipsius AVGVSTIS-  
 SIMI ROMANORVM IMPERATORIS in hac re Norimbergae artifex ,  
 VESTNERVS , SCHVVARZIVM nummo repraesentauit ; cuius  
 altera pars summam uitae SCHVVARZIANAE continet.  
 Anno uero superiori a GLORIOSISSIMO INVICTISSIMOQUE FRAN-  
 CISCO , ROMANORVM IMPERATORE AVGVSTISSIMO , pretioso  
 aureo torque , ex quo magnus nummus , imaginem Impe-  
 ratoriae Maiestatis ferens , dependet , clementissime dona-  
 tus est ; quem PERILLVSTRIS ET EXCELLENTISSIMVS LIBER BARO  
 IOHANNES VVENCESLAVS de VVIDMANN , AVGVSTI AVGVSTAEQUE  
 ad Praecessum CIRCVLVM FRANCONICVM Ablegatus , tamquam  
 singulare clementiae Caesareae documentum SCHVVARZIO

C

hoc

hoc factum demississime ueneranti eoque stupenti Vienna  
rediens attulit. Ante breue tempus Praefes Societatis Flori-  
gerae ad Pegnesum, cuius antehac collega fuerat,  
electus est, et si ipse hoc agi audiens, mortis instantis quasi  
praefagus, alium annis florentiorem creandum censuit et sua-  
sit. Quum uero Celeberrima haec Societas in uotis suis  
perstaret; SCHVVARZIVS indignum esse ratus, ei diutius  
obniti, Praefes factus est. Adscriptus quoque fuit Academiae  
Caesareae Leopoldinae Carolinaeque Naturae Curiosorum et  
Regiae Borussicae Societati scientiarum, quarum honos  
nomenque perpetuo manebit. Praeterea ter consulatum Aca-  
demicum cum eximio decore et grauitate gessit, ac quarti  
iam Candidatus erat. Ordini quoque suo duodecies praefedit,  
multosque hac occasione laude dignos adolescentes uirosque  
gradibus Academicis ornauit. Quum autem plenos xxxi,  
et quod excurrit, annos, tamquam doctor Academiae no-  
strae, dies noctesque meditando, legendo, scribendo, et  
assidue docendo confecerit, difficile intellectu haud est, et-  
iamsi id aliunde non constaret, quot acroases habuerit, quam  
auditorum turbam collegerit, et ad quod eruditionis culmen  
tandem adscenderit; quum praefertim fere semper prospera  
ualetudine usus sit. Sed aeternitate dignissima prostant  
SCHVVARZII monumenta, quae, quod diximus, lucu-  
lentissime confirmant. Et quis eruditorum SCHVVARZII  
scripta ignorat, eaque sine admiratione legit? Quidquid in  
publicum emisit, doctrina repletum est, cultissimeque exa-  
ratum. Vbique, si Latine scripsit, adsunt uerba antiqua,  
et ex ipso Latio petita. Nihil est barbarum, nihilque ob-  
scurum, sed omnia lucidissima et dignissima. Selecta uerba  
optimas complectuntur res, et solis uocabulis enitescere,  
SCHVVARZII non erat. Sic ubique et semper egit; ac quan-  
do ingentis Demosthenis arma concussit, et indomiti Cice-  
ronis ignes et grandia pondera deuoluit, eo dixit modo, qui  
quidem oculis auribusque hauriri poterat, sed uerbis describi  
nequit. Omnia natura in eum abunde contulit, quae ex-  
cellentem oratorem efficere possunt. Sic eum audientibus  
iam forma commendauit, quae fuit dignissima, et ingenua;  
ac uultus flore et rubore pene iuuenili perpetuo uiguit. Nec  
praegrandis gigantis staturam aut deducti pumilionis habuit,  
sed in mediocri mensurae corpore suada eius refedit. Corpus  
ipsum succo et bonae ualetudinis signis splenduit. Latera fue-  
runt ualida oratorique conuenientia, et magnum co-  
natum spiritumque sustinere ualuerunt. Vbi uerba facere  
coepit, imperterritus est orsus, et nihil offensionis in pronun-  
tiando

tiando animaduersum est. Fluminis instar omnia prorup-  
 erunt, nullaque linguae audita sunt uitia. Omnia expressissi-  
 me extulit; nullae sibi interciderunt syllabae, par fuit ubi-  
 que sermo. In arduo dicendi genere SCHVVARZIVM ma-  
 xime excelluisse HEINECCIUS, iurium et elegantioris litera-  
 turae scientia celebratissimus auctor, alique scientissime iu-  
 dicarunt. In primis uero et rebus et dictione Ciceronem,  
 maximum quem Latium tulit oratorem, felicissime imitatus  
 est. Quod uero huic eloquentiae Romanae fonti defuit,  
 SCHVVARZIVM potuisse res certa est et confessa. TVLLII  
 enim carmina numquam approbata sunt; at SCHVVARZIVS  
 praeclara et blandissima confecit carmina. Quodsi Lyrica  
 composuit, Horatium, sed omissis turpibus, retulit; si ele-  
 gias scripsit, Ouidium sine obscenis nugis expressit. Aliis  
 quoque monumentis poeticis satis ostendit, sibi facultatem  
 fuisse Virgilium, Gratiumque imitandi. Fudit quoque ele-  
 gantes Graecos et Latinos uersus, et in omni etiam quo  
 usus est carminis genere admirandam sectatus est perspicuita-  
 tem. Vti uero praestantissimis et imitandis scriptoribus du-  
 dum accensus est: ita quoque egregius fuit doctor. Vnde  
 siue morum scientiam traderet, siue fata rerum publicarum,  
 et Augustorum Imperatorum res gestas exponeret, siue ora-  
 toriam suam doceret, siue carminum conficiendorum ratio-  
 nes redderet, siue ueterum ritus illustraret, siue emendate  
 scribendi modum ostenderet, siue ad critices studium duce-  
 ret, siue ueteres scriptores interpretaretur: cum auditores sui  
 mirati sunt, et ab eo numquam nisi doctrina egregiaque in-  
 stituitione locupletati discesserunt. Critices et philologiae  
 summum dedit exemplum, quum Plinii, oratoris incom-  
 parabilis, panegyricum optimis circumdatus subsidiis pub-  
 licaret; quod opus eruditi maxima et communi approba-  
 tione extulerunt; ac quod caput rei est, ipsi INVICTISSIMO  
 ROMANORVM IMPERATORI FRANCISCO magnopere placuit. Reli-  
 qua quoque SCHVVARZII scripta eaque permulta, quae-  
 que ad omnis generis doctrinas spectant, ac partim etiam  
 graues publicaeque Deductiones sunt, ubique honorantur  
 et laudantur. Neque tacendum est, eum multorum num-  
 morum figuras et inscriptiones excogitasse, qui percussi, et  
 apud omnes aequos rerum aestimatores in maxima laude, sunt.  
 Publice quoque multi eruditione celeberrimi uiri testatum  
 fecerunt, quanti SCHVVARZII eruditionem facerent, eam-  
 que librorum dedicatorum honore prosequuti sunt, ac fre-  
 quens literarum commercium, inter quos et Purpurati qui-

dam erant , cum eo habuerunt. Vt uero libros bonos , illa  
cara et necessaria eruditionis instrumenta , nancisceretur , nul-  
lis pepercit sumtibus , et aliquando destinata opera eiusmodi uoluminum  
conquirendorum causa iter fecit ; nec quod optauit non consequutus est.  
Vnde etiam tot annorum collectione dignam reliquit literariam supellectilem. Sic possedit  
priscos libros Graecos , Latinos , et Germanicos manu partim in membrana  
partim in charta exaratos , itemque haud exiguam copiam librorum saeculo xv  
sub incunabula artis typographicae excusorum , et uix in multis aliis bibliothecis  
reperiendam. Dilatata autem ubique uiri fama et gloria , saepe in alias  
eruditionis sedes docendi causa inuitatus est ; saepe qua optione , quibus  
conditionibus ire uellet , est interrogatus. Sed soli nostrae Academiae a DEO  
destinatum erat seruatumque hoc eruditionis ornamentum. Retentus uero uir  
optimus etiam hic est ex causa deuoti sui cultus erga PERILLVSTREM  
REMPUBLICAM NORIMBERGENSEM , quae cum prima in Professoris Publici  
dignitatem euexit , et benigne complexa est ; et propter rem familiarem  
hic constitutam. Hi labores , haec merita SCHVVARZII dignissima erant ,  
quae a lectissima uitae torique socia recrearentur , et in rebus domesticis  
administrandis releuantur. Hanc etiam desideratam feliciter reperit , dum  
Norimbergae uersabatur , et ab ILLVSTRIBVS Academiae CVRATORIBVS  
ueniam petere uolebat Italiam peragrando , et ueteris Romae Latiique  
rudera ac monumenta uisitandi. Fuit ea , quae cum ab obstinato itinere  
abstraxit BARBARA , DANIELIS VVELLERI honestissimi ciuis et spectati  
mercatoris Norimbergensis aetate et uirtutibus florentissima filia.  
Quam sibi solemnibus nuptiarum ritu d. xxx Sept. A. clolccx accepit ,  
et cum ea , sed duos dumtaxat annos , quam maxime concorditer uixit.  
Nam , unica superstiti filiola BARBARA d. xx Nouembr. A. clolccxii  
naturae debito liberata , fatigatisque morbo membris defertis , per se  
uigere coepit. Magno solatio filia BARBARA SCHVVARZIO fuit , et postea ,  
ubi adoleuerat , optimo patri suo , res domesticas curatissime tractando ,  
unicum gaudium et auxilium , omniumque uirtutibus suis oculis in se  
conuertit. Quibus bonis incitatus D. IOHANNES NICOLAUS VVEISSIVS ,  
Anatomes et Chirurgiae Prof. Publ. Poliaterus et Academiae Imperial.  
Naturae Curiosorum Collega Celeberrimus , Vir doctrinae amplitudine  
et medendi arte ualde antecellens , eam coniugem sibi cupiit. Quam  
etiam cum solemnibus uotis et publicis gratulationibus d. xxviii  
Aprilis A. clolccxxxiiii hic domum duxit. Ex quo fortunato coniugio  
SCHVWARZIIVS  
haec

haec laetus uidit carissima amoris pignora: BARBARAM, ANNAM MARGARETAM, CATHARINAM HENRICAM SOPHIAM, IULIANAM DOROTHEAM; quae adhuc, DEO fauente, salua sunt, feliciterque aetate et uirtutibus procedunt, et uti, dum uiueret aui, ita adhuc parentum, omniumque bonorum sunt deliciae; itemque, quae autem mortalitatem iam exuerunt: MARGARETAM BARBARAM, ROSINAM SOPHIAM, et CHRISTIANVM GOTTLIBVM. Vnum uero filiolum VVEISSIA enixa est inanimum. Pertaeus SCHVVARZIVS uiduitatis suae aliam maritam quaesuit et habuit DOROTHEAM MARIAM, Viri spectatissimi, iuriumque peritissimi IOHANNIS HAGENII, PERILLVSTRIS SENATVS NORIMBERGENSIS a commentariis opificum. Quae altera SCHVVARZII coniux et ipsa uirtutibus condecorata fuit, quam etiam semper in oculis tulit, et quae ei hos quinque peperit liberos: IULIANAM DOROTHEAM, IOHANNEM GOTTLIBVM, IULIANAM MARIAM, CATHARINAM CHARLOTTAM, et CATHARINAM MARGARETAM; qui, praeter IULIANAM DOROTHEAM non ad maturam aetatem peruenerunt. IOHANNES GOTTLIBVS anno octauo aetatis ex hac uita excessit, et sic SCHVVARZIO per totam uitam insanabilem attulit dolorem, quod iam flores et deformatos futurae eruditionis fructus ostenderit, et ad percipiendas literas praestans fuerit. CATHARINA uero MARGARETA annos uixit XIII et omni uirtute, quae in uirginem cadit, functa A. 1600 decessit. IULIANA DOROTHEA mecum consociata fuit, femina omnem laudem supergressa, quam, me infelicem! anno 1600 grauidam amisi. Haec cara SCHVVARZII filia eum sex liberis his hilarum fecit auum: BARBARA ELISABETHA, BARBARA ELISABETHA altera, SVSANNA MARGARETA, CHRISTIANO GOTTLIBIO, ANDREA IACOBO, et CHRISTIANO GOTTLIBIO altero. Ex quibus mihi SVSANNA MARGARETA, et CHRISTIANVS GOTTLIBVS alter, adhuc supersunt, et semper supersint precor! Tertium Coniux factus est SCHVVARZIVS, quum tertium Rector Academiae esset, et nuptiae, A. 1600 d. XIII Octobris Norimbergae coniunctae sunt. Ultima haec marita fuit laudatissima matrona BARBARA natalibus STARCKIA, et tunc STEPHANI OEDERI, egregii mercatoris Norimbergensis uidua, quae sine prole decem annos cum SCHVVARZIO peramanter uixit, et A. 1600 seruitutis humanae claustra perrupit. Felix itaque quidem fuit SCHVVARZIVS, non tamen illa Metelli indulgentia fortunae gauisus est. Licet enim SCHVVARZIVS amplos honores gesserit, et non quidem filios sed nos generos consulares uiderit, ac licet duas filias suas nobis nuptum dederit, earum

D

que

que sobolem sinu suo exceperit, uidit tamen et multa suorum funera, et saepe tristitiae grauissimas habuit causas. Quum uero sapientiae et humanitatis studium mentes molliat; et aduersa fortuna eas firmare possit: et SCHVVARZIVM eruditio et usus durarum rerum uirum reddiderunt humanissimum. Hinc non solum erga suos bonus fuit et indulgens, sed etiam cum collegis suis coniunctissime uersatus est, et conglutinatas amicitias diligenter conseruauit. Pauperes multis beneficiorum generibus affectit, et neminem opis suae indigentem, si ea dignus erat, sine auxilio a se abire passus est. Ac quamuis pro doctrina sua lubentissime et potissimum cum amicis suis de rebus literatis et publicis colloqueretur, tamen neminem, nec tenuissimae fortunae hominem se compellantem aueratus est. Poterat et hilaris esse et facetus, si id occasio ferebat. In primis ad morum eius laudem spectat, quod Numen aeternum reuerentissime coluit, coetibus sacris etiam senex et frigidissima hyeme, ac uel incommoda tempestate, assidue interfuit, et saepe conscientiam exonerauit ac noxas suas expiauit. Et huius quoque boni uiri fores pulsauit mors. Haec ei, alioquin bene ualenti, nisi quod aliquoties sed tamen raro et leuiter podagra tentatus est, et noctes crebro exsomnes habuit, in initio huius quem agimus anni, insidiari coepit. Signa enim uenturae apoplexiae in eo obseruata sunt; qui se pro sua pietate, ingenti ultimae, si instaret, mutationi recte et conuenienter praeparauit, iam antea haud raro uaticinatus, fore ut aliquando repente mortuus deprehendatur. Deinde ante aliquot hebdomadas uaga arthritide, quae mox caput, mox genua, mox pedes infestauit, uexatus est. Sed huius mali uis praesentibus remediis a nobis generis eius ita fuit fracta, ut magna spes esset, breui futurum, ut secundum communia uota se iterum ad consuetos labores referre possit. Die autem elapso xxiii Februarii, qui festus erat, quum solus esse uellet, ut piis meditationibus suis eo melius studere posset, dum horologio adstat, hora ultimumque uitae momentum ipsi ruit, et sanguine ictus collabitur. Sic prostratus a suis illico aduolantibus inuentus est, et omnis quidem data fuit opera, ut refocillaretur; sed iam transactum fuit de SCHVVARZIO. Rebus humanis LXXV annos interfuit, et iam in coelo cum senioribus habitat, qui Agnum maectatum adorant, resque fragiles et caducas tutus contemnit. Vos, CIVES ACADEMICI, qui ex mandato diuino omne senium uenerandum esse nostis, id maxime huius Academiae Seniori, eique de Vobis optime merito praestabitis. Quando itaque aes ferale cictur, cuncti adeste, et exsanguie corpus Nobiscum decenter comitamini.

P. P. V MARTII A. R. S. MDCCCL.

INDEX SCRIPTORVM  
**B. DOM. SCHVVARZII**  
 COMIT. PAL. CAES. ET ACAD. ALT. SENIORIS.

**EXERCIT. ANTIQ. ET PHILO-  
 LOGICAE.**

Disput. de causis Dialectorum, speciatim Graecarum.  
 De ornamentis librorum apud ueteres usitatis. Dissp. IIII.  
 De oratione concinna.  
 De fortibus poeticis.  
 De poetis cyclicis.  
 De fatis uocum quarundam.  
 De collegio Vtriculariorum.  
 De Augutor. Caesarumque Romanorum tribunitia potestate.  
 De insignibus ordinis equest. uet. Rom.  
 De libris plicatilibus ueterum.  
 Capita quaedam doctrinae antiquariae.  
 De iure Italico.  
 De modo numerandae tribunitiae potestatis Augutor. Caesarumque Rom.  
 De affectatione ueterum Romanorum.  
 De tempore ludorum saecularium sub Philippis Augustis celebratorum.  
 De quodam uetusto monimento in opido Neukirchensi prope Neostad. rep.  
 De uaria supellectile rei librariae uet.  
 De sacrorum detestatione.  
 Obseruat. Crit. ad loca quaedam Latini Pacati Drepanii.  
 Obseruat. Crit. ad loca quaedam Panegyrici Pliniani.  
*Σχόλια Φιλολογικα* ad prooemium institutionum Iuris.  
 Spicilegia obseruat. ad Panegyri. Plinii. Dissp. III.  
 An omnia Pandectarum exemplaria e Florentinis manauerint?  
 De fastorum Rom. formula: post consultatum.  
 Corollarium obseru. ad Panegyri. Plinii.  
 Obseruat. ad Panegyri. Cl. Mamertini Maxim. Aug. dict. Dissp. II.  
 De Maximino Imperatore.  
 De uetusto quodam Diptycho Consulari et ecclesiastico.  
 De rostris fori Romani.  
 De antiquo ritu legitimandi liberos per pallium.  
 Obseruat. ad Cl. Mamertini panegyri. geneth. Maxim. Aug. dict. Dissp. IIII.  
 De Irenarchis.  
 De columnis Herculis.

**EXERCIT. ANTIQ. AD PHILO-  
 LOGIAM SACRAM APPLICATAE.**

Disput. de cohorte Italica et Augusta.  
 De antiqua numeri senarii nota.  
 De Aesculapio et Hygea.

Disput. de speculatoribus ueterum Rom.  
 De Diis clauigeris.  
 De antiquo ritu cleuandi Principes.  
 De lapsu primorum parentum hum. generis a paganis adumbrato.  
 De aetate et statura militari ueterum.  
 De *Γραμματεῦσι*, Magistratu Ciuitatum Asiae proconsularis.  
 De ritibus quibusdam formulisque a manumissione ad S. Baptisimum translatis.  
 De commiffatione ueterum.  
 De morte Aчитophelis, Dissp. II.  
 De foro Appii et tribus tabernis.  
 De figuris patheticis ex diu. uate Esaiam illustratis.

**EXERCITATIONES HISTO-  
 RICAE.**

Disput. de Butigulariis.  
 De Cadualla Rege Saxonum.  
 De Mathilde Abbatisa Quedlinb.  
 De Henrici VI. Imp. Rom. eaque ignominiosa coronatione.  
 Lemmata quaedam antiq. Norimb.  
 Propositiones historicae.  
 Ex historia Arnolphi Imp. sententiae quaedam dubiae et controuersae.  
 De origine typographiae Dissp. IIII.  
 De S. R. I. Archiscutifero.  
 Epistola ad D. P. I. Marpergerum etc. Fol.  
 Epistola de Diui Friderici V. Rom. Imp. symbolo elementario.  
 Epistola de Norimberga ab ortu suo Imperiali et a nexu municipali libera.  
 Index diplomatum a Carolo IIII. promulgatorum etc.

**EXERCITATIONES EX IURIS-  
 PRVDENTIA NATVRALI ET DO-  
 CTORINA MORVM.**

Disput. de limitibus pietatis liberorum erga parentes.  
 Controuersiarum Iuris N. et G. specimina IIII. Dissp. IIII.  
 De aemulatione.  
 De affectuum morali aestimatione.  
 De abusione abstractionis Metaphysicae in doctrina morum.  
 De falsa methodo dirigendae intentionis.  
 De iure uictoris in res deuictorum incorporales.  
 De piis fraudibus.  
 De iure hominum nasciturorum.  
 Problematum Iuris N. et G. disquisitiones VIII. Dissp. VIII.  
 De obligatione possessoris bonae fidei ad rem domino restituendam.

SVB

Ze 4450 M

**SVB ALIENO PRAESIDIO.**

De Sadducaei Lips. 1699.  
De dialecto Novi Testamenti. Witteb. 1702.

**ORATIONES TYPIS  
EXSCRIPTAE.**

Oratio Panegyrica Dno Iosepho Rom. Imp. dicta.  
Oratio Geneethiaca Leopoldo Archi - Duci Austr.  
Oratio Panegyrica Eleonorae Magdalene Theraeae dicta.  
Panegyricus Carolo VI. Rom. Imp. dictus.  
Panegytr. Carolo VII. Rom. Imp. dictus.  
Panegytr. Hermann de Wolframsdorf dictus.  
Oratio solennis Nouo Acad. Alt. saeculo dicta.

**OPVSCVLA QVAEDAM COL-  
LECTA, AVT ALIIS SCRIPTIS  
INSERTA.**

Miscellanea politionis humanitatis etc. in 4.  
Aga sacrorum saecularium Acad. Alt. Fol.  
C. Plinii C. S. Panegyricus notis et obferuationib.  
Illustratus. in 4.  
Memoria priforum Comitum et Burggrauiorum  
Leisnicensium. in folio.  
Carmina collecta et edita studio M. S. I. Apini, in 8.  
*Quae carmina posthaec a B. Schwarzio confecta  
sunt, ea colligenda et edenda commissit Viro  
Reuerendo doctoque et praestanti Poetae M.  
Iob. Barb. Riederero, Pastori Raschenf.*  
Erlaeterung des Academischen Problematis von  
des H. R. Reichs Erz - Schild - Herren - Ans. in 4.  
Gründliche Ausführung der des H. R. Stadt Nürn-  
berg zukommenden Verwahrung der Reichs - In-  
signien. in folio.  
Cosmae Pragensis Chronicon notis historicis illu-  
stratum. in folio.  
Disquisitiones Acad. Problematum XLII. Iur.  
Nat. et Gent. in unum fasciculum collectae. in 4.

**PROGRAMMATA.**

*Ad Oratorem de Oratore in republica auspicii ca-  
piendi causa habitam; G. C. Modelii; C. S. Kazaueri;  
F. de Som; L. S. Sontagii; S. I. Apini; I. T. Lin-  
ckii; S. Fabri; A. G. Petermanni; Z. Schubartii;  
C. F. Lochneri; G. P. laegeri; F. E. Kraft; G. F.  
Lib. Bar. de Preußing; F. H. Hildebrandi; C. S.  
Eichelsdorf; V. Pohnhoetzeli; I. F. Bonhoeferi;  
I. I. Halleri; I. Ofwald; I. I. Vollandi; I. G. L.  
Schulzii; M. Burckneri; F. I. Beyfchlagii; L.  
Bohneri; C. I. Waldtromer; L. A. Spiffi; I. B. S.  
Starckii; C. S. Lochneri; F. I. Baieri; V. Roese-  
leri; F. Zeteli; I. P. Roederi; I. H. Drümeli;  
V. S. Beckii; C. S. Volcameri; I. L. Ettlinger; I. C. de  
Lith; C. A. Bel; G. G. Koenigii; I. G. Ebneri; G.  
P. Negelini; I. G. Ebneri; Parentationi Iosephi  
Rom. Imp. Oratiōni geneethiaca Leopoldi Archi-*

*Duci Austriae; solennibus Iubilaei Lutherani ab  
Acad. celebrandis; Elegia ad Orat. I. C. Spoerlii;  
oratiōni Eleonorae Magdalene Theraeae; carmini  
Eleg. I. M. Ebersbergeri; ad institutum inclutae  
Acad. Rintelenfis sacrum saeculare celebraturae; ad  
sacrum saeculare Acad. Alt. celebr. ad ciues Acad.  
pietatis et modestiae inter solennia sacra commune  
faciendos; ad recitationem carminis Eleg. A. G.  
Roessleri; quo significabatur solennis Iubilaei il-  
in memoriam traditae Confessione Augustinae ab  
Acad. celebr. ad carmen epicum C. G. Koenigii;  
in inaugurationem inclutae Acad. Goettingensis;  
ad orat. saecul. in laudem typographiae; memoriae  
H. de Reck in Fatigam in inaugurat. inclutae Acad.  
Erlangenfis; in saecularia sacra saecunda inclutae  
Acad. Regiomontanae.*

*Ad exequias I. P. Brunonis; G. P. Roetenbeckii;  
I. I. Voit de Wendelstein; V. C. Obftfelder; E.  
Schadii de Mittelbibrach; P. C. Prenner; G. M.  
Nittingeri; G. C. Vogeli; L. L. Mülleri; Sufanna  
Mariae uxoris I. G. Baieri; D. G. Molleri; G.  
Schultzii; Annae Catharinae uxoris F. Spizii;  
Mariae Magdalene uxoris H. Hildebrandi; C. A.  
Büttner; Annae Mariae, uxoris I. D. Koeleri; H.  
Sontagii; I. F. Heufsi; F. Spizii; G. G. Imhofi;  
C. Sontagii; Mariae Christianae uxoris E. Ger-  
hardi; E. Gerhards; I. M. Fritzi; C. A. Mülleri;  
I. F. Hagen; Iulianae Mariae Barbae uxoris I. I.  
Baieri; I. C. Zeltneri; Catharinae Sabinae, uidae  
H. Linckii; I. G. Schmidii; I. C. Lotheri; Mariae  
Elisabethae uxoris G. H. Linckii; I. C. Hofmanni;  
Reginae Margarethae uxoris C. Sontagii; I. H.  
Fürwegeri; A. Schmidii; I. G. Baieri; H. Hilde-  
brandi; I. G. Fichtneri; H. Rabi; I. Foch; Ioanna  
uxoris H. Freisleben; I. H. Mülleri; Annae  
Catharinae, uxoris G. F. Deinlini; M. A. Cliefeneri;  
C. G. Scheurli; I. G. Gollingii; H. C. Stengeri; L.  
Loffhagenii; Sabinae Clarae Winckleriae; M. D.  
Meyeri; B. Wedelii; Helene Sibyllae uidae  
D. G. Molleri; I. I. Baieri; C. G. L. Rinckii; Euse-  
Barbae, uxoris N. E. Zobelii; G. E. Oelhafsi; E. D.  
Seybothi; Mariae Rosinae Schwaegeri filiae; C. M.  
Hofmanni; I. G. Büttner; Mariae Dorotheae, uidae  
M. D. Omeilii; I. C. Penzeli; N. Schlingli; G.  
H. Linkii; I. G. Kohlesi; Elisabethae Iacobinae,  
uxoris I. I. Kirtenii; I. F. Vogeli; B. G. Büttneri;  
Mariae Clarae filiae I. G. Baieri; G. R. Meyeri; I.  
F. Fleichmanni; T. Lib. Bar. Szirmay; I. L. Beckii;  
D. de Bohez; C. B. Ebneri; E. G. Rinckii; S. Seiz-  
maieri; C. F. Trefenreuteri; Annae Mariae, uidae  
C. M. Hofmanni; Christianae Wilhelminae coniugis  
S. F. Fichtneri; I. M. Fichtneri; Cathar. Charlottae  
Fichtnerae; I. M. Halli.*

*Praeterrmittuntur alia Programmata ad disciplinam  
Academicam pertinentia. Prostat praeterea C. G.  
Schwarzii index librorum quorundam sub incuna-  
bula typographiae imprefforum.*

*Ceterum haec designatio scriptorum omnium B.  
Schwarzii proxime futurum plenior in lucem  
prodiit.*



X 2624469

mc



F. 667.

14

Z<sup>e</sup>  
4450

RECTOR  
VNIVERSITATIS ALTORFINAE  
D. IOHANNES IACOBVS  
KIRSTENIVS

CHYMIAE ET PHYSIOLOGIAE PROF. PVBL. ORD.  
IMPERIAL. ACAD. NATVR. CVRIOS. COLLEGA

AD

VLTIMVM EXEQVIARVM HONOREM  
*VIRO MAGNIFICO AMPLISSIMO EXCELLENTISSIMOQVE*

DOMINO

CHRISTIANO  
GOTTLIBIO  
SCHVVARZIO

COMITI PALATINO CAESAREO

MORAL. HISTOR. ATQVE ELOQVENTIAE PROF.  
PVBL. ORD. BIBLIOTHEC. BENEFICIARIORVM  
NORICOR. INSPECTORI ET ACADEMIAE  
HVIVS SENIORI

ITEMQVE

ACADEMIAE CAESAR. LEOPOLD. CAROLINAE NATVRAR  
CVRIOSORVM ET REGIAE BORVSSICAE SOCIETATIS  
SCIENTIARVM COLLEGAE AC SOCIETATIS FLORIGERAE  
AD PEGNESVM PRAESIDI CELEBERRIMO  
LONGEQVE MERITISSIMO

DECENT. RITV PRAESTANDVM

CIVES ACADEMICOS  
INVITAT

TYPS IOH. GEORGII MEYERI ACAD. TYPOGR.

BIBLIOTHEK  
PONICKAVIAN

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK  
HALLÉ  
(SAALE)

